

tunc per duodecim septimanas in nostro carcere teneatur. Concedimus nichilominus permittimus et volumus absque aliqua turbatione vel offensione nostra, ut idem episcopus contra tales huiusmodi inhibitiones mandati seu percepti nostri transgressores vel presumentes libere suam iurisdictionem et auctoritatem ordinariam exerceat eosque ab hiis ecclesiastica censura conpescant, remittimus eciam ipsi episcopatu et ecclesie et hominibus eorundem omnem exactionem sive inquietacionem vendicionem na rok zwad hlavam wrez collectas generales edificationem castrorum fossata presekin provod nares et omnia alia gravamina. Si quis vero baronum vel nobilium militum vel clientum beneficiariorum iudicum villicorum civium aut aliorum officialium nostrorum seu alterius cuiuscumque dictioni nostre subiectorum predictorum libertatum gratias domino episcopo et episcopatu sui ac capitulo Luthmuschensi predictis per nos concessas infringere vel ei ausu temerario contraire presumpserit, gravem indignacionem nostram ipso facto se noverit incurrisse et duarum marcarum auri penam quam similiter ipso facto incurret absque spe remissionis nobis et camere nostre solvet. Ut autem hec immunitatum gracie perpetue maneat inconvulsa et robur sortiantur perpetue firmitatis, presens privilegium fieri fecimus et nostrorum sigillorum munimine iussimus communiri. Datum Prage anno domini M^oCCC^oXLVIII^o, V^{to} ydus aprilis, regnorum nostrorum anno secundo.

Nr. 14, 1348 April 7.

Abbas Plassensis.

Karolus etc. quod volentes religiosorum abbatis et conventus monasterii Plassensis devotorum nostrorum dispendiis et incommodis occurrere graciis et favoribus oportunis inhibemus universis et singulis baronibus nobilibus militibus clientibus wladiconibus et ceteris fidelibus nostris sub optentu gracie nostre, ut in predicto monasterio curiis allodiis grangiis et pertinentiis suis per se vel alios hospitalitates faciant vel aliquatenus penitus exerceant staciones sub pena indignacionis, quam, si secus attemptare presumpserit, se noverit graviter incursuros. Datum Prage anno domini M^oCCC^oXLVIII^o, VII ydus aprilis.

Nr. 15, 1348 April 13.

Karolus etc. quod accedens ad nostre maiestatis presenciam Peschlinus dictus Roczaner civis Pragensis pro se et